

SAMVELIS WERENFELSII

Basiliensis

DE

FINIBVS MVNDI

*DIALOGVS.*



---

BASILEÆ, Typis JACOBI WERENFELSI,  
ANNO M DC LXXXII.

Philos.

D.

95, 12

ur. Met. Fasc. XXIII E. 15,

PETRO WERENFELSIO  
ECCLESIAE BASILIENS. ANTISTITI  
ACADEMIAE PROFESSORI  
PATRI  
CVI  
PRÆTER VITAM  
IN STUDIIS ET PIETATE  
QVICVNQVE SVNT PROPECTVS  
DEBEO  
OBLATIS HIS STVDIORVM PRIMITIIS  
DIEM PETRIS SACRVM  
FAVSTVM FELICEM  
PRECOR  
SAMVEL WERENFELSIVS.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden



Olymathem superioribus diebus conveneramus, quem tum nescio quæ valetudinis imbecillitas domi tenebat, ego & Dædalus noster. Hic pauca initio obiter, & ea ferè, quæ in primo congressu sese ultrò offerre solent. Postea paulatim, ut nostra quidem fert consuetudo, ad communia studia sermonem defleximus.

Fortè Philosophiæ Cartesianæ mentio inciderat: ibi continuo Dædalus, ut est naturâ disertus, multis Cartesium laudare: mirari hominis ingenium subtile pariter & capax, iudicium acre, vastam rerum plurimarum earumque abstrusissimarum comprehensionem, cum singulari dictionis perspicuitate conjunctam: cæteris denique non obscure hanc Philosophiam antepone: deplorare invidiam seculi, quod non nisi vulgaria ingenia ferre possit: in eorum potissimum iniquitatem vehementius invehi, qui ficta summo viro crimina intentare, quàm vera Dei G.M. dona in eo agnoscere malint. Tum Polymathes: eleganter tu isthæc & copiosè ut omnia. Sed & illud animadvertere poteris, convitiis Philosophiam istam adortos esse plurimos, neminem rationibus; plane, ut mihi jam diu hæc stet sententia, non nisi calumniis eam impeti posse: Sed quid agas?

————— *Baccha bacchanti, si velis adversarier,*

*Ex insana insaniorem facies, feriet sapiens:*

*Si obsequare, una resolves plaga.* —————

Plaut. ig  
Amph.

Videbam utrumque solito commotiozem esse, est enim uterque Philosophiæ Cartesianæ addictissimus: Quare ego, vos verò, inquam, vix tandem intra modestiæ limites iræ impetum continebitis, nisi maturè sermonem vestrum interrumpam. Equidem, tametsi omnes, ut sapienter Paterculus, *naturaliter audita visis laudemus lubentius, & presentia invidiâ, præterita venera-*

*tionē prosequamur, & his nos instrui, illis obrui credamus*: tamen non  
 usque eò invidus sum, quin lubenter vos laudare audiam Car-  
 tesium vestrum, cui, fateor, si secula parem habuerunt Philoso-  
 phum, superiorem certè vix habuerunt. Sed videte, ne, ut illi  
 pulcherrimum fuit plurima priscis non visa, quædam etiam eo-  
 rum errata, detegere; ita vobis turpissimum sit, ejus unius effa-  
 tis, tanquam oraculis, acquiescere. Planè enim paulò fervidius  
 mihi videmini defensionem Cartesij suscepisse, atque Philoso-  
 phis moderatis convenit. Mitto alia: quis feret, quod tu Po-  
 lymathes fatis confidenter illud quidem affirmas: Philoso-  
 phiam hanc non nisi convitiis impetitam esse adhuc, neque o-  
 mnino nisi calumniis impugnari posse? At vos quidem eam  
 probate, cæteris antepone, sequimini ubique, miramini, depe-  
 rite etiam, quantum lubet: per me licet. Hoc verò quid aliud  
 est, quam eum, quem amatis, Philosophum ab omni errore at-  
 que adeò à communi hominum sorte eximere: cùm tamen sa-  
 pientissimi quique cum Chremete Terentiano *homines se esse*  
*fateantur, à quibus humani nihil alienum sit.* Et sanè fuerunt qui-  
 dam, quanquam profecto pauci, fuerunt tamen, qui Cartesium  
 subinde humani quid passum esse & acutè observarunt, & evi-  
 denter demonstrarunt. Fortassis ineptire vobis videbor, si in  
 his ego nomen meum profiteri ausim. Verum enim vero quod  
 si mihi homini ingenio non modo non perspicaci, sed penè nullo  
 non pauca animadvertere contigit, in quibus lapsum esse subti-  
 lissimum Philosophum, liquidò commonstrare possum: obse-  
 cro te Polymathes, numquid sententiam tuam mutabis? Hic  
 me uterque intueri, subridere etiam Polymathes, & ego verò,  
 inquit, sententiam mutabo ac lubens: tu modo fac, quos nobis  
 narras lapsus & in Cartesii Philosophia observasti scilicet, tuos  
 propè dixeram, exponas. Post ad Dædalum conversus, solemus  
 enim inter nos loqui familiarius, videamus, ait,

Hor. de art.  
 Poët.

*Quid dignum tanto ferat hic promissor hiatu?*

Itaque cùm varia nullo ordine, & ut quodque primum oc-  
 currebat recensuisssem, interque alia Cartesij de infinitate mun-  
 di opinionem leviter perstrinxissem: plura dicturum interpel-  
 lat Dædalus, & mirum, ait, ni istuc venisses. Hic enim com-  
 munis fere scopulus esse solet, ad quem omnes alliduntur, qui è  
 Peri-

Peripatetica Philosophia recens ad nos trajiciunt. Sed tu vide,  
 ne immatura infantiae judicia, nondum penitus exuta tibi pro  
 ratione illudant: & si mea parum apud te valet auctoritas, au-  
 di Ciceronem, delicias tuas, de *pra-judiciis* istis graviter differen-  
 tem: Plurimi, ait ille, *ante tenentur adstricti, quam quid esset opti- Cicero in  
 mum judicare potuerunt: deinde infirmissimo tempore atatis, aut obse- Lucullo.*  
*cuti amico cuidam aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione*  
*capti de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque sunt disciplinam,*  
*quasi tempestate delati, ad eam tanquam ad saxum adherescunt. At*  
 ego, vereor, inquam, ne istud tibi potius occini possit: tu videris,  
 eos ne imiteris, *qui omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum* *ibid.*  
*sententiis judicant: an verò eorum numerum augeas, qui re semel*  
*audita ad unius auctoritatem se conferunt: ut recte eos distinguit,*  
 quem mihi obiicis M. Tullius. Hoc quidem tuum de me judi-  
 cium parum æquum est, imò parum Cartesianum: medicinam  
 enim tu facere paras, antequam de morbo meo tibi constet: in-  
 cautas infantiae opiniones nimis facile, & ob levissimas ut plu-  
 rimum causas susceptas, me cum nucibus nondum deposuisse  
 judicas: huicque malo isthoc Ciceronis dicto mederi vis, quem  
 quanti faciam, tu non ignoras. At decebat verum Cartesii di-  
 scipulum assensionem tantisper sustinere, donec argumentis  
 meis seriò ponderatis, eorum sive robur sive infirmitatem clarè,  
 ut loquimini, & distinctè percepisset. Sed bene est, quod parum à  
 me expectatis, eò enim facilius spei vestrae satisfaciam. Id solum  
 te nunc, Polymathes, oro, ut Cartesii ejusque sequacium de in-  
 finitate mundi sententiam breviter, ut soles, & dilucidè expo-  
 nas, ne, quod quibusdam accidere video, pro opinione Cartesii  
 proprii cerebri commenta refellam, sicque cum umbrâ pugnan-  
 do risum omnium excitem. Hic Polymathes posteaquam ali-  
 quoties frustra Dædalum rogasset, ut has ille partes exciperet,  
 tandem ad me respiciens sic exorsus est:

Po. Principio ne tu *Philalethes* existimes, nos conditorem re-  
 rum omnium cum opere suo confundere, accuratè distinguimus  
 inter *infinitatem perfectionis & extensionis*: quarum illam soli Deo  
 vindicamus, hanc mundo non negamus. Tamen mundum infi-  
 nitæ extensionis dicere non sustinemus: Etenim pro certo affir-  
 mare mundum revera infinitum esse non auferimus. Forte

limites habet, sed qui à solo Deo uti definiri, ita etiam concipi possunt. *Indefinitum* vocare malumus, non eò tantum, quòd qui & ubi sint fines mundi accurate dicere nequeamus, hoc enim dubio caret: sed quod, esse aliquos mundi fines, neque demonstrare neque omnino concipere possimus. Fiat enim periculum; concipe fines mundi; nusquam concipere poteris, quin simul extra hos fines spatium imagineris, quod nomine tenus quidem vacuum & nihil, re autem vera extensum & corpus est. Quòd si limites ulterius promovere lubet, idem tibi semper eveniet, plane ut ubicunque tandem terminos fixeris, fieri nequeat, quin mens tua eos transfiliat, & in nescio quæ loca imaginaria exspatiatur. Hoc cum omnibus commune sit, prorsus, ut sapientissimi quique sibi ab his spatiis extra quoscunq; mundi fines concipiendis temperare non possint: consequens est, non ex mentis imbecillitate id provenire sive aliquâ imaginationis petulantia; sed inde omnino, quod non alium mundi conceptum habemus, atque indefiniti, ut adeò repugnet mundum finitum concipere. Habes breviter Cartesii meamque de mundi infinitate sententiam. Sed numquid dissentis Dædale? D. Dilucidè, ut mihi quidem videtur, rem expedivisti. Tuum nunc Philalthes est, aut vitium ostendere in ratiocinatione Cartesii: aut aperire, quo pacto fines mundi concipi possint: aut omnino mundum finitum esse evidentiâ demonstrationum evincere. Ph. Faciam hæc omnia sedulò. Ac primo quidem miror neutrum vestrum vitium in Cartesii argumentatione animadvertere: Quis enim non videt eum *imaginationem* hic cum *conceptu puro*, ut ajunt, confundere? Nempe ab una parte vidit acutissimus Philosophus, secum pugnare eos, qui spatia imaginaria, id est, spatiosum nihil extra mundum fingunt, cum omne spatium & quidquid adeo imaginamur non nihil sed revera extensum & corpus sit. Ab altera parte mundi fines imaginari aggressus, non potuit, quin extra hos fines spatia hæc imaginaria vel invito occurrerent, sive, quod idem est, non potuit imaginari terminos mundi, quin extra eos aliud corpus imaginaretur mundum undique ambiens, ac proinde ad eum pertinens: quæ inter se cum manifeste repugnent, clare animadvertit, fieri non posse ut mundi fines quis imaginetur. Sed quoniam ad distinctio-

nem

nem *imaginationis* & *conceptus puri* tum non attendit (ut in spaciis imaginariis refutandis occupato facile accidere poterat) negavit omnino fines mundi concipi posse. Po. Imo notissima, o noster, hæc nobis distinctio est, & Cartesio perquam familiaris. Est sanè *conceptus purus, quo rei essentiam & attributa, ut sunt ipsa per se, sine ulla imagine corporea concipimus*: sicut mentes concipimus, earumque actiones, intelligere, judicare, appetere, &c. ipsumque adeo nihil. Est deinde *conceptio, qua rei alicujus imago corporea in cerebro depingitur: quæ, si ex occasione corporis alicujus presentis extra nos, corpus nostrum quodammodo pulsantis oritur, visio; sin à spiritibus producentibus in corpore motus similes iis, qui à corpore presente extra nos producuntur, imaginatio dicitur*. Ita tua, Philalethes, imago animo meo obversatur non modo cum te præsens intueor, sed etiam cum procul à te sum remotus. At Cartesium hæc confundere, quorum ipse toties nobis distinctionem inculcat, & quasi quisquam mentem à sensibus & imaginibus abstrahere potuit: id verò est, quod haud ita facile tibi assentior. Ph. Faxo assentiaris: id modo nunc velim des, multa esse quæ *conci- pere* possumus, *imaginari* non possumus. Po. Haud equidem inficias iverim, si de rebus spiritalibus loqueris: Idem ne verò de corporibus eorumque præsertim magnitudine, quæ de nunc agimus, dici possit, subdubito. Ph. Imo dubitare desine: infinita pene sunt, quæ non imaginamur, concipimus tamen. Huc, ut prætermittam alia, referenda sunt omnia universalia, rerum essentia omnes, ipsumque adeo corpus in genere & ejus essentia; singularia enim cuncta sunt quæcunque sub imaginationem cadere possunt. Quid clarius concipimus numeris? V.C. Numerum millenarium concipio clarissime: sed tu imaginare simul, si potes, mille corpora, ut ego concipio mille unitates. Adde corpora singularia quam plurima: figuram ex magno angulorum numero constantem, qualis verbi gratia est milleangulum; circulum perfectum; icoædram sive aliud corpus ex multis hedris compositum; globum penitus rotundum aut omnino integrum; motum aut velocem nimis aut lentum; materiae in infinitum sectionem. Et quia vis, ut de magnitudine loquar: pleraque imaginari non possumus propter parvitatem, multa propter magnitudinem. Quis unquam imaginem

ginem

ginem in cerebro depinxit millesimæ partis hujus pulvisculi, quem vel totum vix microscopij ope percipis, & à nihilo distinguis? Quis unquam tantam imaginem corporis mente formavit quam non hæc quam pedibus calcamus tellus, multum superet? Plura, si plura requiris, proferam. Hæc autem quæ attuli quanquam nemo imaginari possit, percipimus clarissime, demonstramus evidenter, inde alias demonstrationes deducimus, quarum pleni sunt Geometrarum libri. D. Satis est. Cedimus veritati: *Imaginatio* longè angustior est *conceptu puro*. Sed jam istud, nisi grave est, ostende: rationem Cartesii nihil aliud evincere, quam nos fines mundi imaginari non posse, non illud præterea, planè eos non posse concipi. Ph. Isthuc ibam. Quod si igitur ostendero quid sit, quod impediatur, quo minus terminos mundi imaginari queamus, simulque probavero, illud ipsum minimè impedire, quo minus possint concipi, apparebit, spero, satis, Cartesium à Phantasiâ suâ fuisse delusum. Sed videbuntur hæc forte, quæ dicturus sum difficiliora, & planè metaphysica; quare vos omnem mentis aciem intendite, ego, quantum in me est, dabo operam ut à vobis intelligar. *Infinisum absolute sic dictum* est, quod continet omnem rem, sive omnem perfectionem, quæ aut esse aut etiam concipi potest: id vos *infinisum perfectione* vocare soletis. *Infinisum secundum quid v. c. extensionem* est, quod omnem extensionem complectitur, quæ & esse potest, & intelligi: hac ratione vos mundum *infinisum* dicitis. Hinc quid finitum utroque modo sit cuiusvis facile intellectu est. *Finitum perfectione* est, quod non omnem rem sive perfectionem continet, quæ & esse potest & mente concipi: sic mundum tamen *extensione finitum* esse vultis, finitum tamen esse affirmatis. Est autem *extensione finitum*, quod non omnem extensionem sive *possibilem* sive *omnino intelligibilem* habet. Ex his apparet, qua ratione fines rei cujuscunque concipere possimus. Concipienda enim primum est res ipsa quasdam perfectiones habens: deinde præter eas concipienda est aliqua perfectio ulterior: & demum neganda est hæc perfectio huic rei quam concipimus, sive concipiendum est, perfectionem ulteriorem, quæcunque demum sit, ab hac re abesse. Sic cum numerum ternarium finitum esse dico: apprehendo mente primò numerum con-

con-



constantem tribus unitatibus : præter has unitates concipio alias plures : eas denique nego numero hoc ternario contineri. Ita mentem meam finitam esse mihi constat. Nam intelligo eam quasdam habere perfectiones, præter quas aliarum perfectionum ideas habeo, easque nego menti meæ inesse. Pariter, ut de extensione dicam, hoc conclave finitum esse affirmo : quia præter eas extensionis partes, quas video hypocauftum continere, alias concipere possum, quas nego ad hoc hypocauftum pertinere. Satis jam meo judicio clarè distincteque, ita enim omnia percipere vultis, intelligitur, quid finis rei sit : vid. *Negatio sive absentia rei alicujus ulterioris, perfectionis vid. sive extensionis ; aut revera existentis aut possibilis aut omnino intelligibilis.* Hinc tandem manifestè efficitur, nos fines nullius rei imaginari posse, quis enim imaginetur negationem, absentiam, nihil? Aut si vos imaginem ejus in animo impressam habetis, quâ figurâ, quo colore, quâ magnitudine sit, aperite. Sed si omnino negationem, atque adeò finem cujuscunque rei, sub imaginationem non cadere conceditis : ratio, quare fines mundi imaginari non possimus, aperta est. Quippe si nullam negationem, nullum finem, imaginari possumus, quî, quæso vos, fines mundi imaginemur? Jam verò hæc ratio non vetat, quò minus concipiamus fines mundi : non enim perinde fieri non potest, ut negationem quamcunque finemque concipiamus : nisi forte existimatis me hæc dicentem Psittacorum more inanes sonos edere. Ostendi igitur satis, nisi fallor, quid impediatur, quin fines mundi imaginari possimus, simulque illud ipsum non impedire, quo minus queamus concipere ; id quod me facturum promisi. Po. Ego verò, quanquam omnem mentis aciem intendi, tamen hujus tuæ demonstrationis vim nondum assequor, illud præsertim, quod ais, nullius rei terminos nos imaginari posse. Quid? tene imaginari non posse terminos hujus globuli, quem manibus teneo? Quin aspice, nihil facilius est. Ph. Difficilius fortè quam videtur. Sed tu cui res adeo expedita apparet, dic mihi : ubi imaginariis fines hujus globuli, in globone an extra globum? Po. Rogas? In globulo : numquid imaginor ipsam superficiem extremam globuli? Ph. Hæc igitur superficies extrema est finis ejus. Sed jam mihi expone : si superficies nunc extrema motu

B

ad

ad centrum globi deferretur, tuncne fines ejus imaginariis prope centrum? Po. Illudis. Ph. Atqui sic factum oporteret, si hæc extensio, quam nunc extremam imaginariis, finis est. Po. Garris. Superficiem hanc extremam finem esse dico, non quia est finis ipsa per se, sed quia extrema est. Ph. Teneo; distinguis inter rem extremam & ipsam extremitatem: finis rei non est ipsa res extrema, sive aliquid rei inhærens, alioquin ubicunque res esset, finis esset: sed ipsa extremitas; iam quæro quid vocas extremum? Po. Quasi nescires: extra quod nihil est, quod ad corpus pertinet. Ph. Est igitur extremitas sive finis nihil aliud quam negatio, sive non existentia corporis alicujus extra hanc superficiem pertinentis ad hunc globum. Nunc rogo: illam negationem, illam non existentiam corporis ulterioris, illud nihil extra superficiem globi, tunc imaginariis? Po. Non possum. Ph. Vides igitur te extremitatem finemque hujus globi non imaginari. D. Manum da Polymathes. Sed heus tu! hujus globi terminos ego imaginor extra globum: quum vid. imaginor extra globum extensionem ulteriorem. Ph. Falleris: Illa enim extensio, quam imaginariis, ad hunc globum pertinet. D. Nego pertinere. Ph. Quis scis? D. Quia, qui sint hujus globi termini, video. Ph. Itaque extensio illa extra globum non est globi terminus: siquidem inde tibi constet, extensionem eam non pertinere ad globum, quia globi termini jam ante tibi sunt noti. D. In circulum vertor. Ph. Ego te expediam, tu me sequere. Imaginor globum hunc ejusque superficiem extremam: præterea imaginor extensionem aliam non ita opacam, ut globi eam undiq; ambientem. Huc usque nullos fines concipio. Jam concipio, non autem imaginor, nullam extensionem ad hunc globum pertinere præter illam opacam, quam video: sive concipio non existentiam cujuscunque corporis ad hunc globum pertinentis præter hoc opacum, & hoc propriè est finem globi concipere. Inde colligo, extensionem istam pellucidam, quam circa hunc globum imaginor, ad eum non pertinere. Manet itaque hoc fixum & immobile, *nos fines nullius rei imaginari posse*, ac proin mirum non esse, si fines mundi imaginari nequeamus. Sed cum nihil, negationem, atque adeo fines rei alicujus facile concipiamus, nulla hætenus causa subest, quare terminos mundi concipere

pere

perenon possimus. Po. Tibi quidem hæc videri possunt immo-  
tæ veritatis: mihi verò plusquam Bæotica ænigmata videntur,  
& vel numeris Platonis obscuriora. Quare nisi clariora ha-  
bes, ne spera, te hodie me in sententiam tuam petracturum. Ph.  
Credo equidem, te non ita facile assequi, quæ neque ego nisi ali-  
quantulâ meditatione sum assecutus. Tu igitur in angulum  
hunc concede & hæc quæ hucusq; dixi, ut feci, serio tecum me-  
ditare: Ego tantisper cum Dædalo nostro fabulabor. Sed quid  
te hisce leniter arridere, Dædale, video: scilicet quod longiuscu-  
lâ meditatione me assecutum esse dico, quæ tu, pro incredibili  
tua percipiendi celeritate, sine ullo meditationis tædio, jam o-  
mnia me melius percipis. D. Mihi vero, non diffiteor, plana  
videntur & aperta. Nunc istud amplius expone, quomodo ve-  
lis, ut mundi fines, quos me imaginari vetas, sine repugnantia  
concipiam. Ph. Faciam: tu modo mentem ab omnibus rerum  
corporearum imaginibus vacuum affer. Id mihi primo largie-  
ris: Si corpus aliquod finito numero partium constans, præter  
quod nihil omnino sit, concipere sine repugnantia possimus,  
mundum finitum nos facile concipere posse. D. Negare non  
possum: mundum enim finitum concipere nihil aliud est, quam  
corpus aliquod ingens concipere, finito partium numero con-  
stans, præter quod nihil sit. Ph. Age igitur concipe corpus ali-  
quod finitum quodcunque lubet. D. Concipio globum hunc,  
quem terraqueum vocamus. Ph. Numquid globus iste alio  
corpore ad existendum indiget? D. Minime verò. Ph. Potest  
igitur existere, etiam si nullum aliud corpus existat: hoc concipis  
sine repugnantia: jam finge existere, nihil finges quod repu-  
gnet, sive quod fieri non possit. D. Certè. Ph. Hoc autem cum  
fingis, dic mihi, numquid ideam habes corporis finiti præter  
quod nullum existit. D. Fateor. Ph. Ita mundum concipe &  
finitum concipies. D. Nunc demum sentio, me captiosis tuis  
interrogationibus esse circumventum. Ph. Imo veritate victus  
es. Jam alia te aggredior via. Tellurem hanc quam pedibus  
calcamus finitam esse credis? D. Quid ni credam, cujus ambi-  
tum & diametrum graduum & milliarium numero metiri so-  
leo, cujus semidiametro cælos metior? Ph. Recte. Jam finge  
te ad centrum telluris devolvi: Omnia corpora quæ nunc extra

terram in infinitum, ut existimas, extenduntur, in nihilum redire: istud tibi in centro terræ constituto revelari. Tunc mundum tunc infinitum conciperes? D. Nescio. Ph. Conciperes utique finitum: quia finita tellus tunc totum mundum constitueret. Quid enim? Hæccine quam nunc clare finitam esse intelligis, cujus ambitum diametrumque metiris, cujus semidiameter tibi ulnæ loco est ad cælos metiendos, tunc nescio quam metamorphosi infinita tibi videretur, quamvis ei ne hilum quidem accessisset? haberes igitur conceptum corporis finiti, extra quod nullum esset corpus. At quid impedit quæso, quin mundum nunc majorem quidem, finitum tamen, concipias, quod tunc facillimum esset? D. Quia non possum, quin spatia imaginem extra mundum, quod repugnat. Ph. At ego nolo ut imagineris. Etenim si Phantasmatis istis frænum laxares, & tum hæc spatia imaginaria extra terram usque animo occurrerent. Sed ridiculus esses, si tum diceres: tametsi non modo concipere possim, sed certò sciam mundum finitum esse; licet ejus ambitus, diameter, aliaque mihi nota sint: tamen eum sine repugnantia finitum concipere nequeo: quando quidem fines ejus imaginari non possim, quin extra eum spatium imaginem, id est, aliud corpus ad eum pertinens. Itaque vel hoc exemplo disce, purum conceptum à fallacibus phantasmatis & idolis distinguere.

Po. Serio mecum perpendi, quæ de finibus rerum, Philalethes, dixisti: quæ mihi, fatebor enim, primo intuitu obscura, plana nunc & evidentia videntur. Id tibi assentior, fines rei, si accuratè loquamur, sub imaginationem non cadere. Do etiam illud: Cartesium nihil aliud probare, quam nos terminos mundi nusquam imaginari posse. Sed quænam, explana mihi certissima fines mundi concipiendi via est? Ph. In eo sumus ego & noster Dædalus, me quidem hæc totus iterare piget. D. Videor mihi, Philalethes, satis percepisse sententiam tuam: quam nisi molestum est tua audire, Polymathi exponam. Nunc igitur hoc age. Considera lineolam hanc in charta hac depictam ——— Posses ne concipere lineam constantem mille lineolis hujus magnitudinis? Po. Egone? Concipere possum, imaginari non possum. Ph. Distinctè, laudo. D. Concipis quid sit extensio, quid negatio, quid negatio extensionis,  
longi-

longitudinis? Po. Clarè & distinctè omnia. D. Jam concipe lineam constantem mille lineolis hujusmodi, & præter hanc negationem cuiuscunque longitudinis. Numquid finitam lineam concepisti, præter quam nulla sit longitudo? eodem modo finitum corpus poteris, præter quod nulla sit extensio; & ita demum mundum concipe. Tuum nunc est aut aliquam in conceptibus istis ostendere repugnantiam, aut si nulla est, fateri, nos mundum finitum concipere posse. Po. Videntur equidem hæc omnia cohærere. Atat! quodocunque fines mundi concipio, imaginationem continere non possum, quin in nescio quæ spatia extra eos evagetur: quæ cum accuratius confidero, video corpora esse pertinentia ad hunc mundum, hocque adeo & vobis identidem evenire non potestis diffiteri. Vos igitur facite, fingite, dicite, quidquid libuerit, vel hæc spatia imaginaria extra mundum fingendi pertinacia, omnibus hominibus communis, vos convincete potest, nos omnino mundi indefiniti ideam habere. D. Quid tibi videretur Philalethes? Hoc quidem non de nihilo est. Ph. At vos erratis vehementer, si hanc, spatia extra mundum fingendi, lubidinem insitæ nobis ideæ mundi indefiniti argumentum esse putatis, quippe quæ non nisi ex inveteratis infantia erroribus oritur, quorum duos ego potissimum observo: Primus est, quod tum demum nobis fines corporis alicujus concipere videmur, cum corporis cujuscumque crassi & opaci superficiem imaginamur, extra quam aliud sit subtilius & pellucidum: qualiter terræ fines nos imaginari putamus. Unde est, quod, cum finium mundi mentio fit, nos partem aliquam, quam extremam dicimus, paulo crassiorum imaginamur, extraque eam aliam subtilem & pellucidam, quam spatium & vacuum vocamus. Et ab hoc errore, quoniam ab ineunte ætate nobis adhæret, provenit hæc spatia extra mundum concipiendi pertinax consuetudo. Altera infantia opinio, quæ nos ad fingenda hæc loca imaginaria impellit, est: Quod nihil, ut spatium aliquod imaginari assuescimus. Priusquam enim ad Philosophiam accedimus, aërem & quidquid aëre subtilius est, nihil & vacuum esse existimamus, ac idcirco quotiescunq; de nihilo & inani cogitamus, spatium imaginamur aëri planè simile. Hic error diuturna consuetudine

altas adeo in animo radices egit, ut etiam Philosophi homines, cætera minimè contemnendi, spatium corpore vacuum, id est, extensum, figuratum, longum, latum, profundum & divisibile nihil, inter duo corpora esse posse, dicere non vereantur. Hinc factum est, ut simulatque audivimus, nihil esse extra mundum: spatium aliquod, i. e. corpus subtile in indefinitum extensum pro nihilo imaginati fuerimus. Utque à teneris consuescere multum est, & quemadmodum ait Cicero, *maxima actio est repugnare visis, obsistere opinionibus, assensus lubricos sustinere*: Inde adeò fit, ut etiamnum sapientissimi, nisi exorbitantem Phantasia coerceant, sibi ab istis spatiis imaginariis extra mundum concipiendis temperare non possint. Sed propius vobiscum pedem conferam. Imaginatio hæc, dicitis, spatiorum extra mundum arguit, nos mundi indefiniti ideam habere. Sed quare quæso non affirmatis, nos initium mundi concipere non posse, i. e. mundum in conceptu nostro esse æternum? par utrobique ratio est. Dic enim mihi Polymathes, concipis'ne mundum incepisse? Po. Nihil facilius. Ph. Ante mundum igitur præter Deum quid fuit? Po. Nihil. Ph. Jam in te descende, teipsum excute, vide, an non eandem in te sentias propensionem, nihil illud ante mundum ut spatiosum aliquod inane imaginandi, planè, ut nunc spatium extra mundum concipis? Po. Fateor idem mihi accidere. Cum enim imaginationem sequor, ante mundum magnum & immensum spatium, quod nihil quidem dico, sed revera corpus imaginor. Ph. Itaque si imaginationi tuæ indulges, ad quod quidem omnes ab infantia sumus propensi, mundus in tuo conceptu æternus est, quia nullum initium concipis, ante quod non spatium aliquod imagineris, i. e. mundum. Jam igitur vides, eodem modo, quo tu mundum infinitum probare conaris, me æternum esse evincere, saltem in nostra imaginatione, sive, ut tecum hæc confundam, in nostro conceptu. Attende enim quam hæc inter se sint similia. Tu solitus es ab infantia nihil, quod fuit ante mundum, imaginari ut immensum aliquod spatium, idemque adeò nunc aliquando accidit: idem mihi planè evenit, cum de nihilo extra mundum cogito. Illa imaginatio falsa est, & ex inveterato errore orta; nihil vid. esse spatiosum: idem de hac imaginatione dico. Non sequi-

sequitur: imaginari non possum, nihil ante mundum fuisse; ergo mundus duratione indefinitus est: pariter nego sequi, imaginari non possum, nihil esse extra mundum; ergo mundus indefinitus est extensione. Nihil fuisse ante principium Mosaicum quamquam imaginari nequeamus, concipere tamen possumus: ita licet imaginari non possim, nihil esse extra mundum, concipere tamen possum.

Po. Fateor denique non repugnare, si mundum finitum concipimus: modo ad distinctionem imaginationis & conceptus puri probe attendamus. Istud tamen non sufficit, ut finitum esse dicam, nisi id demonstratione aliqua evidenti probeatur: Nihil enim adhuc quidem affirmare queo, quam mundum finitum esse posse; sitne autem finitus an infinitus, planè nescio: quippe magnopere illud Luculli apud Ciceronem in Academicis probo: *Sapientem cum ei res occurrunt, quas non habeat denotatas, retenturum assensum, neque unquam ulli viso assensurum, nisi quod tale fuerit, quale falsum esse non possit.* Ph. Tu verò prudens admodum & circumspectus es veritatis indagator, quod tantum abest ut improbem, ut etiam hoc abs te flagitem. Equidem paratas habeo demonstrationes, satis quidem illas evidentes, si quid de nostris judicare possumus: sed nolo iis attentionem vestram, fortasse jam satis superque defatigatam, diutius exercere. Oportet enim defigere animum, & intendere in ea quae perspicua sunt, ut, quanta luce ea circumfusa sint, possit agnosci. D. Quin Ibid. tu potius perge, ut cepisti Philaethes. Nos quoad fieri potest vires recolligemus attentionemque renovabimus. Ph. Siquidem ita vultis, nunc igitur animum advertite, & ut magis pateat demonstrationum mearum vis, quanto potestis operemundum infinitum esse defendite. Te primum, Polymathes, rogo, mundus estne extensus? Po. Extensus in infinitum. Ph. Habet igitur partes extra partes. Sed dic mihi, suntne illae partes finitae an infinitae? D. Quid si infinitas dicam? Po. Si de singularis loqueris falsum est. Ita enim partes aequales haberemus toti, plura infinita, infinitum in finito majus: Ita infinito aliquid in infinitum addi posset. Denique mundus partem extra partem non haberet, si unaquæque infinita esset, atque adeo omne spatium impleret. Quare ego distinctè respondeo: partes singulae

gulæ finitæ sunt, universæ infinitæ, aut si mavis partium quælibet finita est, numerus sive multitudo partium infinita. Ph. Intelligo; quærere hic possem, utrum numerum infinitum sine repugnantia concipere possis: Nunc hoc tantum mihi velim dicas: singularum partium estne aliqua cum toto proportio? Po. Affirmare non ausim; Partium enim unaquæque finita est, totum infinitum: nulla est. Ph. Quid quæso sunt partes nullam habentes cum toto proportionem? Imò puncta esse dic, non partes; nam quidquid pars vocatur; pars dicitur respectu totius, & est, de integralibus loquimur, quod aliquam sed non omnem totius constituit magnitudinem. Jam si, ut fateris, pars mundi quæcunque demum sit nullam cum toto proportionem habet: nullam cum toto collata habebit magnitudinem ac propterea nullam magnitudinem totius constituet. Po. Mirum hoc tibi videtur? annon terra dicitur puncti ad instar esse respectu cælorum? Ph. Ita ajunt, quia nullam ejus respectu magnitudinem habet sensibilem: revera enim omnia hæc corpora finita sunt, cælique omnes quancunque sunt, finitum habent numerum partium tantarum quanta tellus est. Sed si mundus infinitus est, quæcunque partium, quancunque demum sit, non modo non habet magnitudinem sensibilem respectu totius, verùm nullam planè i.e. nullam totius magnitudinis partem constituit, quæ penitus sunt ἀούρα. Hacque ratione fieri nequit, ut partem mundi concipiamus: quod si enim multa myriadum millia vorticum mundi conjungeremus, eamque magnitudinem numero aliquo prodigioso, & quem pagina hæc non caperet, multiplicarem, hancque multiplicationem multis seculorum myriadibus continuarem: magnitudo inde exurgens mundum non modo non superaret, sed ne æquaret quidem: quid dicam æquaret? Ne minima quidem pars esset: ejusque non major esset cum mundo proportio quam 100000000. pars dentis pediculi aut si quod aliud animalculum est, quod pediculum perinde ut pediculus hominem infestat. Imò omnis illa extensio punctum esset nullam habens cum toto proportionem, nullam magnitudinem. Tu igitur videris, si mundum infinitum statuis, quo pacto partes ejus reperire possis. Verùm si hæc inter partes & puncta distinctio  
ni-



nimium subtilis vobis videtur, concedam mundo partes; da-  
 bo etiam, pulvisculum hunc, quem vix visu percipimus, partem  
 esse: numquid amplius vis Dædale? D. Quid ni esset? aut enim  
 hic pulvisculus pars est, aut nullam habet mundus. Ph. Sed pos-  
 set ille manente hoc mundo in nihilum abire. Fac igitur, in ni-  
 hilum redigi: nunc quæro, utrum mundus, qui pulvisculo hoc  
 careret, adhuc infinitus esset, ut nunc infinitum esse dicis? D. Mi-  
 nimè: posset enim ei aliqua pars addi. Ph. Finitus igitur esset.  
 Sed nunc mihi expone; si corpori alicui finito pulvisculus hic  
 accederet indene conflaretur corpus infinitum? D. Delirare me  
 existimas? Corpus finitum constat finito numero partium, qua-  
 lis ille pulvisculus est: jam si finito numero additur unum, nu-  
 merus inde non fit infinitus. Omnino ex duobus finitis non fit  
 infinitum. Ph. Si igitur minimus ille pulvisculus mundo, qui,  
 eo in nihilum redacto, finitus est, redderetur, mundus esset fini-  
 tus: Finitum enim finito adderetur. D. Video quorsum ten-  
 das: sed negare non possum. Ph. Atqui mundus tunc esset,  
 quantus nunc est: quòd si igitur tunc finitus esset, nunc finitus  
 est; quod erat demonstrandum. D. Quæro effugium. Ph. Imo  
 potius veritatem quære. Sed videte vel his clariora. Mundum  
 dividi posse, Polymathes, affirmas? Po. Etiam: nam habet par-  
 tes extra partes. Ph. Divide igitur eum animo in duas partes.  
 Po. Dubito utrum fieri queat. Ph. Facile istud quidem. Divide  
 enim mente totum mundum cum Mose in cælum & terram:  
 Cœli nomine intellige omnem extensionem præter tellurem:  
 partes sintne æquales an inæquales, non laboro: Id modo ve-  
 lim mihi dicas: sunt ne hæ partes finitæ an infinitæ? Po. Quid si  
 finitas dicam? nihil est: Infinitum componerem ex duobus fi-  
 nitis. Quid si infinitas? tantundem egero: terram finitam esse  
 scio; præterea partes æquales toti, plura infinita cuderem. Ac  
 sic opinor: non potest: imò optime. Audi Philalethes: dico alte-  
 ram partium finitam esse, alteram infinitam. Ph. Sic infinitum  
 esset, præter quod alia esset extensio: sic altera saltem partium  
 æqualis esset toti. Tu porta hoc iurgium ad Geometras. Po.  
 Hæreo, Dædale, tu succurre. D. Ipse auxilio indigeo. Sed  
 num plures demonstrationes hujusmodi habes? Ph. En vo-  
 bis

C

bis

bis aliam, quæ, nisi fallor, non minus vos constringet. Aspice hunc cubum, qui præ oculis est: mundus integer quot talibus cubis sive partibus constat ejus magnitudinis cujus est hic cubus? D. Nescio. Ph. Neque ego sanè scio: numerum tamen hujusmodi cuborum finitum esse existimo. D. At ego infinitum. Ph. Ita debes. Sed fac, unumquemque horum cuborum in centum alias partes dividi; quantum numerus omnium talium partium numerum cuborum superaret? D. Centuplo major esset. Ph. Rectè. Priorem infinitum dixeras, hic igitur centuplo major erit infinito. Jam si attendis, cubum istum in infinitum posse dividi: consequens est, numerum hunc, quem infinitum esse dicebas, in infinitum posse multiplicari. Et quia numerus multiplicatus est numerus infinitus: si cubus iste in 1000000000. partes dividatur, qui sit multiplicator; efficitur inde productum totidem infinitorum. Et ita infinito numero non tantum aliquid potest addi (quod si fieri potest, fateor me nescire quid sit infinitum) sed addi possunt innumerabiles alii numeri infiniti, & hoc usque in infinitum. D. Numquid habes Polymathes quod respondeas? Po. Ego verò nihil. D. Quin igitur veritatem amplectimur. Po. At tu Dædale expecta paulisper, nimium mihi videris in judicando festinare; mihi sanè non hæc est consuetudo, ut cedam protinus; simulatque argutiis quibusdam impediatur. Ph. Optimè istud quidem: sed vide ne ista tua constantia in pertinaciam abeat: nunquam enim veritati cedere inglorium est. Restarent aliæ demonstrationes non minus meo judicio evidentes: quas afferrem; nisi viderem, me incassum laborare, & quod ajunt, laterem lavare. Docet enim me exemplum vestrum; si quis pervicaci opinione semel est imbutus, nulla eum rationum vi moveri: plane, ut demonstrationes clarissimæ non nisi contorta sophismata & captiosæ argutiæ ei videantur. Po. Imo Philaletes, si veritatem, si nos amas, cœptum absolve. Forte numero rationum movebimur, quos pondus non movet: fortè etiam, ut sit, convincemur argumento aliquo, non illo quidem fortiori, sed quod magis ad ingenium nostrum est accommodatum. Ph. Nihil est, quod æquè faciam lubens; modo hoc à vobis


bis

bis impetrem, ut chariorem habeatis veritatem, quam cujuscun-  
 que Philosophi auctoritatem. Dic igitur mihi Polymathes,  
 mundus habetne trinam dimensionem? Po. Quidni habeat?  
 extensum dicimus. Ph. Sed longitudo, latitudo & profundi-  
 tas mundi, suntne finitæ an infinitæ? Po. Unaquæque infinita  
 est. Ph. Longitudo itaque est infinita: At potestne infinitum  
 dici, præter quod alia extensio est, quæ ei deest? Poly. Non.  
 Terram ideo finitam esse dico: quia præter terram aliam ex-  
 tensionem esse scio, quæ ei deest. Ph. Longitudo igitur mundi  
 non est infinita; quia deest ei omnis extensio, quæ in latum &  
 profundum porrigitur. Po. Adeò-ne me idoneum esse existi-  
 mas, cui sophismatis talibus illudas? Ph. Faxo videas, hoc non  
 esse sophisma. Age igitur, concipiamus lineam rectam per  
 longitudinem mundi ductam infinitam esse ( talis autem, si  
 mundi longitudo infinita est, concipi debet ) Jam si prætereà  
 latitudo & profunditas infinita est: patet, ab utraque parte hu-  
 jus lineæ infinitas alias lineas rectas esse, huic parallelas: & su-  
 pra hanc lineam infinitas alias, infra eam totidem: atque ita  
 supra infraque unamquamque parallelarum à lateribus datæ  
 lineæ infinitas itidem parallelas esse; quæ singulæ datæ lineæ  
 sunt æquales, i. e. infinitæ. Nunc concipiamus omnes illas li-  
 neas in unam conjunctas; sive jungamus conceptu omnes  
 has lineas. Rogo nūmne longitudo omnium linearum con-  
 junctarum non sit major longitudine datæ lineæ? D. Imò in-  
 finities infinitis vicibus major est. Ph. Sed longitudo, quâ in-  
 finities infinitis vicibus majorem concipis, quantum distat ab  
 infinitâ? D. Immane quantum. In eo autem erras, quod li-  
 neam aliquam aggregatam fingis ex omnibus istis lineis. Fa-  
 teor si hæ lineæ inter se possent addi; constituerent lineam  
 infinitâ plusquam infinitis majorem: sed hoc fieri non potest.  
 Ph. Esto: eas saltem conceptu conjungere possumus. Ut enim  
 concipere possum longitudinem unius lineæ seorsum; ita con-  
 cipio longitudinem omnium linearum conjunctim; perspi-  
 cuumque mihi est, longitudinem omnium linearum majorem  
 esse quam singularum: Atque si lineæ illæ & magnitudine &  
 numero infinitæ sunt; clarè percipio, longitudinem omnium

linearum conjunctim infinities infinitis vicibus esse majorem unâ lineâ seorsum. Linea igitur data atque adeo mundi longitudo immane quantum distat ab infinitâ: id quod erat demonstrandum. Sed lubet amplius tecum contendere. Negas lineas inter se addi posse: quare autem? estne aliquid in lineâ quod impediat, an ultra lineam? D. Non ultra lineam; nihil enim ultra eam est: ipsa linea hoc impedit, quia infinita est. Ph. Quia infinita est? hoc, si quem habet sensum, hunc habet: quia linea hæc omnem habet longitudinem, quæ & esse & concipi potest; sive, quod idem est, quia nulla longitudo neque est, neque esse, neque concipi potest, quâ linea hæc careat. Sed an non infinitas lineas concipio, easque reverà existentes, quarum unaquæque propriam habet longitudinem infinitam, quæ huic lineæ deest: non igitur omnem habet longitudinem, adeoque non est infinita. D. Exspecta. Benè. Omnem habet longitudinem specie, non numero: quamcunque enim longitudinem sive bipedalem sive tripedalem, & ita in infinitum, habet aliqua harum linearum; data etiam habet eandem specie vid. non numero. Ph. Certam mihi victoriam polliceor: cum te, præter morem ad has distinctiones confugere video. Sed quid ais? si alius mundus esset præter hunc nostrum ei planè similis; esset ne hic noster infinitus? D. Quorsum hæc? Nequaquam: quia hac ratione mundus non omnem haberet extensionem; siquidem esset præter hanc extensio alia ad mundum non pertinens. Ph. Erras. Haberet omnem extensionem specie non numero: quippe nullam extensionem sive bipedalem, sive tripedalem, & ita in infinitum, haberet alter ille mundus; quam iste noster non haberet specie vid. non numero eandem. Vides igitur tuæ responsionis soliditatem. D. Irretitus sum. Ph. Plurane requiris ut tandem assentiaris huic veritati: lineam rectam per totam longitudinem mundi ductam non esse infinitam. Alia in promptu sunt: quòd si enim recta infinita est, quanta erit curva? Po. Nescio: sed major sine dubio. Ph. Atqui uti linea recta; ita etiam curva v.g. spiralis vel conchalis concipi potest per totam mundi longitudinem ducta: Hæc rectâ, ut fateris, major est: sed numquid infinito majus concipi potest?

Po.

Po. Nescio : nam ego finitus sum atque idcirco infinitum conceptu meo adæquare nequeo. Ph. Credo. Sed hoc minimum scis : si linea aliqua datâ longior est, datam non omnem habere longitudinem, quæcunque esse & concipi potest; atque adeo ei aliquid deesse i.e. non esse infinitam. Po. Equidem cogor his assentiri. Ph. Gaudeo : namque hæc tandem firma assensio & stabilis est, ad quam cogimur. Sed nondum desero hanc unicam rectam permundi longitudinem ductam : ut vel palpetis, quantum ea ab infinita dissideat : fingite mecum, Deum omnem mundi extensionem in filum tenuissimum mutare : totum hoc filum circa centrum terræ volvi & glomerari usque in infinitum, adeo ut totus mundus nihil aliud sit, quam glomus aliquod fili tenuissimi : hoc glomus ejusdem magnitudinis esse, cujus est totus mundus, id est infinitæ. Iam quæro : num linea recta, quæ per totum glomeris medium ducitur, esset infinita? Po. Quid nisi, si totum glomus infinitum est? Ph. Sed longitudo fili circa centrum terræ glomerati an non multo major esset longitudine lineæ per medium glomeris ductæ? Po. Sine dubio. Ph. Linea recta igitur per medium glomeris ducta non esset infinita : siquidem alia longitudo esset hac multo major, vid. longitudo totius fili circa centrum terræ glomerati. Po. Sed quo hæc omnia tendunt? Ph. Non vides? nempe lineam rectam, quæ per longitudinem mundi ducitur, non esse infinitam : quia æqualis est ei lineæ, quam finxeram per medium glomeris infiniti transire. D. Sed tunc existimas igitur : lineam infinitam omninò sine repugnantia concipi non posse? Ph. Ita sanè : & ab hac sententia abduci nequeo, nisi solidè quis vestrum ad hanc demonstrationem, respondeat, quam nisi vestra audiendi patientia deficit, breviter hic proponam. Videtis hanc lineam.



Constituamus eam esse infinitam, & ultra terminos *b.* & *c.* in infinitum protendi. Dividatur hæc in puncto *a.* manifestum

C 3

stum

stum est has partes inter se esse æquales; quia utraque incipit  
 in puncto *a.* & protenditur in infinitum. Nunc te, Dædale, ro-  
 go: hæ duæ partes sunt ne finitæ an infinitæ? D. Finitæ. Ph.  
 Ita ex duobus finitis componeretur infinitum, quod repugnat.  
 D. Fateor errorem. Infinitæ sunt. Ph. Jam in scyllam incidis:  
 ita partes essent æquales toti: infinitum enim infinito æquale  
 est. Præterea vides, utramque partem in puncto *a.* terminari:  
 non igitur finibus & terminis caret. Quid tu Polymathes ad  
 hæc? Po. Habeo quod respondeam. Utraque harum partium  
 ab una parte finita est, nempe in puncto *a.* ab alterâ infinitâ, quia  
 ultra puncta *c.* & *b.* in infinitum extenditur. Ph. Callidè, acu-  
 tè, nihil supra. At ego quæro, an numerus partium talium, qua-  
 lis linea *a. b.* & *a. c.*, in utrâvis sectione lineæ infinitæ sit infi-  
 nitus? Po. Ajo. Ph. Sed num ille numerus, cui æqualis potest  
 addi, & cujus duplum non modo concipio, sed est reverà in re-  
 rum naturâ, infinitus est? Quod si etiam hoc ais; numerus in-  
 finitus non omnes habet unitates, sed præter eum concipi pos-  
 sunt totidem unitates, quibus ille careat, eique possunt addi.  
 Hoc autè si non repugnat; quid tandem erit quod repugnet? Po.  
 Sed quid si finito partium numero hujus magnitudinis qualis  
 linea *a. b.* constare dico utramvis sectionem datæ lineæ? Ph.  
 Linea igitur data est finita: quia duo numeri finiti inter se  
 additi efficiunt numerum finitum. Id quod erat demonstnan-  
 dum.

Cicero. l. 4.  
 Academ.  
 quest.

Hæc pluribus persequi volebam, nam possunt, quemadmo-  
 dum veritate clarè intellectâ nihil fœcundius est, multa inde  
 deduci, quæ in hâc ipsâ de mundi infinitate controversiâ non  
 leve momentum habent? Sed satis jam satis, exclamabat Dæ-  
 dalus, Veritati restiti: *necesse est tandem, ut lancem in librâ por-  
 deribus impositis deprimi: sic animum perspicuis cedere:* quippe  
 juvat sæpius cum M. Tullio loqui. At Polymathes, Et ego  
 sanè quid impediât, quò minus tibi assentiar, non video. Neq;  
 enim adhuc Cartesij de infinitate mundi opinionem pugnaci-  
 ter sive publicè sive privatim propugnavi; neque librum de eâ  
 conscripsi, vel saltem librorum alicui, quos nullos composui,  
 meam, quam huc usque tenui, sententiam inserui, quem ut vul-  
 gò

gò sibi persuadent, omne reliquum vitæ meæ tempus defendere  
meæ famæ interfit. Ego verò: Gratulor, inquam, gratulor mi-  
hi, aut potius veritati, à quâ tandem vos vinci patimini. Hoc  
unum opus erat, ad me in sententiâ meâ penitus confirman-  
dum: Quanquam enim mea omnia clarissima mihi videban-  
tur: diu tamen vacillavi, cum quis ego sim, quis Cartesius fue-  
rit, diu multumque mecum cogitavi: sed planè assensu vestro o-  
mnem mihi scrupulum exemistis. Videte tamen, quantus ve-  
ritatis amator sim: tametsi meæ demonstrationes mihi evi-  
dentissimæ videantur: quemadmodum spero, & aliis visum  
iri, qui aliquantulum temporis, attentionis, meditationisque  
ad hæc accuratius expendenda sibi sumere voluerint; nihilo-  
minus paratus sum sententiam mutare, quandoeunque vel vos  
vel alius quispiam erroris me convincet: id quod vobis o-  
mnibusque veritatis studiosis sanctissimè polliceor. Fateor  
quidem nihil esse difficilius, quàm sententiam mutare semel  
in animo conceptam, publicè prolatam, argumentis etiam  
confirmatam, quæ præterquam quod firmissima videntur, tan-  
tò magis nobis placent, si ea industriâ nostrâ inventa esse  
credimus: sed superabit, spero, has difficultates veritatis a-  
mor, quo nihil antiquius & habui adhuc, &, dum vivam,  
habebo.

Placuit enim mirificè semper, & placet adhuc il-  
lud Senecæ: *Non est levitas à cognito &*  
*damnato errore discedere, & ingenuè fa-*  
*tendum est: aliud putavi, deceptus sum.*  
*Hæc verò superba stultitiæ perseverantia*  
*est: quod semel dixi, qualecunque est, fi-*  
*xum ratumque sit.* Sed satis jam, fortè etiam  
nimis, philosophatus sum. Quibusdam enim, jam suo  
ævo querebatur Cicero, *totum hoc displicet Phi-*  
*losophari.*

Senec. I. 4.  
de benef.  
cap. 38.

Cic. de fin.

Hæc

Hæc quum dixeram, unusquisque nostrum ad sa-  
cra studia, & diviniore literas, ad quæ omnia referre  
solemus, reversus est.

*F I N I S.*

